vites crebra ſecuris percuſſione, arbores exciduntur, ſecantur fruges, & Villarum domus in pulverem commutantur. Oppidani & Villici dolore affecti ſunt; nam vident futuram annonæ caritatem; dolent eorum greges, & armenta diripi; imminentem vim prævident, ſed dicere quippiam muſſant. Contra Artifices militiæ adventu congratulantur, habent venalia omnia, etiam digitos, ac vendunt, & quanti volunt. Hi bello dites fiunt, milites ad arma cohortantur, &

A

Martem colunt. Illi tenuiores ſunt quotidie, arma odio habent, conſuſurrant Pacem, ac vota Paci ſupplices faciunt. Tamdem adhuc, Inclyte Rex, fortuna nutat, & victoria incerta eſt; ſed ut videre videor, omnis ſpes Venetorum, & cœpti fiducia belli, Regis in auxilio, Scipionis magnanimitate, & prudentia, & auctoritate poſita eſt. Hæc hactenus. Quod fiet, alio volumine ſuo ordine differetur.